



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Cui similis sit luxuriosus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Suprum cū virginibus, raptus, quando violenter cō-
primuntur: est quoq; peccatum luxuriæ contra natu-
rā, quas species luxuriæ Apostolus I. Cor. 6. taxat, n-
quiens, quod nec fornicarij, adulteri, & molles, nec
mascuorum cōcubitores regnum Dei possidebunt:
hīc patet, quod omnibus speciebus luxuriæ denega-
tur regnum cœlorum, vndè liquet, quod grauissimū
sit peccatum.

2. Secundò, luxuriosus similis est homini vulnerato:
nam vulneratus vbiq; secum defert vulnus & sen-
tit dolorem. Sic vulneratus luxuria falsoué amore,
non habet quietem. Semper secum defert ardorem
luxuriæ, siue comedit, bibat, dormiat &cæt. semper
vulnus sentit, vndè Gentilis poëta describit mulierē
vulneratam amore.

Æneid. 4.

*At regina graui iam dudum saucia cura,
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.*

Est enim Sathan Cupido ille filius Veneris sagit-
tans, & tela sua, id est, ornatam mulierem aut elegan-
tem virum in corda hominum transfigens, & accen-
dens amorē carnalem & libidinem, quæ non sanatur
nisi gratia Dei liberauerit. Sic David vulneratus fuit
videns Bersabeam se lauātem, 1. Reg. 11. nam im-
pudicus oculus, impudici cordis est nuncius. Deindè
luxuriosus similis est equo sine freno, qui nihil boni
facit: ita est luxuriosus sine ratione, quasi insaniens
& furens, transiens quasi in somnio: omniū obliuisci-
tur, dementatur, &c. Sic fuit infatuatus sapientissi-
mus rex Salomon amore mulierum, ita vt ad idolo-
latriam traheretur contra præceptum Dei sui, qui il-
lum ita exaltauerat, 3. Reg. 11. Sic hodiè multi regun-
tur & infatuantur à mulieribus. Postremò luxurio-
sus similis est vermibus in fimo equorum, in quo vi-
uunt, moriuntur, & putrescunt. Sic luxuriosi vitā a-
gunt in fimo luxuriæ, de quo Propheta Ioël 1. Com-
putrescunt

putruerunt iumenta in stercore tuo. Est etiam diabolus luxuriæ piscator ille, de quo Abacuki. Totum in hamo suo leuauit, totum traxit in sagena sua. ita capit luxuriosos hamo suo (*mit dem narrensey!*) & ligat etiam fortissimos terræ, vt Samsonem, Herculem, & alios &c.

Tertio, ex damnis & pœnis illatis peccato luxuriæ facile notari potest, quam graue & fœdum peccatum sit coram Deo luxuria. Horrenda enim exempla notat scriptura, & 1. Genes. 6. causa diluuij fuit luxuria, eò quòd (vt dicunt Doctores) mulieres supergressæ viros, illis abutebantur ob nimium ardorem &c. Similiter propter libidinem perièrunt funditus quinque illæ ciuitates cum adultis & paruulis. nam pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham ignem & sulfur &c. Pœnæ huius peccati & comminationes grauissimæ passim habentur in scriptura, Leuit. 20. Exod. 22. Numer. 25. vbi propter fornicationem populi principes suspenduntur, & occiduntur 24. millia hominum, item ob vitiatam vxorem Leuitæ occiduntur plusquam 18. millia hominum, vt patet Iudic. 19. & 20. item propter violatam Dinam virginem filiam Iacob, omnes masculi in ciuitate Sichimorum occiduntur. Sic Absoloni malè cessit sua fornicatio cum concubinis patris sui. In Euangelio Lucæ decimo quarto: qui vxorem duxit, non venit ad cœnam, id est, propter abusum luxuriæ &c.

3.

Genes. 34. 7

CAPVT XII.

ARGVMENTA.

1. De luxuriosa & inhonestâ chorea.
2. Quæ peccata regnent & fiant in saltatione:
3. Quomodo puniatur à DEO.

M M 2

Primò